



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1681

lxxx [i.e. viii]. Possunt supernaturaliter plures causæ in actu secundo
totales influere in eundem effectum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

rem producentem id non facere. Neque implicat rem respectu ejusdem actionis esse in fieri secundo, & simul in facto esse. Neque ista actio secunda supponit effectum suum formalem adæquatum, qui est complexum ex re existente & secunda actione, quod complexum non supponit secunda actio, sed constituit. Neque invalidatur hac ratione argumentum SS. Patrum probantium Patrem distingui realiter à Filio in divinis, quia est producens & productum; nam illi supponentes, ibi semper esse distinctionem realem inter producens & productum, ubi aliquid naturaliter producitur, bene intulerunt, Patrem distingui à Filio; quia quidquid Deus producit ad intra, id producit naturaliter. Si autem propter hanc indistinctionem producentis & producti directes, rem illam appellare causam sui ipsius, dic, esse principium, quamvis nos, dum causam definivimus, in *τὸ aliud* vim non fecerimus.

VIII. Possunt plures causæ finales in actu secundo totales (qualis dicitur illa, non quæ influit sine consortio alterius; sed quæ influit influxu se solo sufficiente ad effectum ponendum,

dum, ita ut ex vi hujus influxus, etsi altera causa abesset, adhuc poneretur effectus) naturaliter influere in eundem effectum seu actionem externam. Potest enim illa imperari à pluribus actibus internis habentibus plura motiva seu fines, qui actus imperantes, quia physicè non influunt in actum externum, hic ab illis non specificatur, sed manet & procedit idem, sive ab hoc, sive ab illo, sive ab uno, sive à pluribus diversis actibus internis imperetur; è quibus actibus nullus est superfluous, saltem in ordine ad operantem (etsi de cætero alter superfluous sit respectu præcisè actionis, quæ eadem procedit uno illorum deficiente) cum volitiones appetitivæ non tantum ordinatæ sint à natura ad imperandam existentiam mediæ seu effectus externi; sed vel maximè ad bene vel malè afficiendam voluntatem. Idem tamen actus internus voluntatis ne divinitus quidem causari potest à pluribus finibus totalibus totaliter influentibus; quia fines semper sunt formalia motiva actuum voluntatis, non potest autem idem actus voluntatis habere plura objecta motiva adæquata, cum non possit ab eis ita procedere, ut maneat idem actus uno moti-

motivo deficiente. Potest ergo aliquis velle ire in patriam suam, & ut parentes ægros invifat, & simul ut accipiat pecuniam, ita ut horum finium uno deficiente, adhuc velit ire, non tamen id potest velle per eandem volitionem, quâ volebat ire propter utrumquæ finem, sed per aliam specie distinctam.

IX. Non potest naturaliter eadem forma simul è duplici subjecto totali per duplicem educationem totalem educi, aut idem effectus à pluribus causis efficientibus totalibus totaliter influentibus procedere; semper enim una actio & una causa erit superflua; nam cum effectus ad sui existentiam non exigat totale conatum plurium causarum seu duplicem actionem, Deus agens ordinariè juxta naturale rerum exigentiam, non concurrit ad duplicem actionem totalem, seu ad omnem conatum & virtutem, quam habet utraq; causa totalis in actu primo, exerendam, sicq; per hunc Dei concursum vis operativa causarum necessariorum ligatur, & determinatur, ut actione attemperatâ concurrant; si verò effectus intentionis sit capax, tunc duæ causæ effectum producent intensiorem, respectu cujus tamè
singul-